

nem mensuræ in æternitate per aliquid rationis, sicut in tempore. Nos autem e contra dicimus æternitatem sine aliquo rationis esse totam simul, et habere totam perfectionem, et constitutionem mensuræ, non tamen se habere, ut mensuram extrinsecam respectu Dei, sed intrinsecam, et sic non potest per applicationem vel replicationem mensurare suam mensuratum, sed per identitatem, vel informationem.

XIX. Probatur ergo conclusio posita primo, ex D. Thoma qui in præsentis articulo quarto et in I, dist. XIX, q. II, art. I inquit: « Quod secundum negationem principii, et finis non attenditur essentialis diversitas inter æternitatem, et durationes creatas, quia posito, quod tempus nunquam incœperit, et nunquam finiatur, adhuc tempus non erit æternitas, et supposito, quod Angeli semper fuerint adhuc ævum differret ab æternitate. » Ad dit vero dist. XIX citata: « Quod sicut prius, et posterius temporis, prout intelliguntur numerata complent rationem temporis, ita permanentia actus secundum quod intelligitur in ratione unius, quod habet rationem mensuræ complet rationem ævi, et æternitatis. » Igitur secundum D. Thomam differentia per se, et propria inter æternitatem, et tempus est, quod tempus mensurat secundum modum numerationis, id est, secundum prius, et posterius prout numerata, quæ numeratio ab intellectu fit. Æternitas vero mensurat non per numerationem, quæ fit ab intellectu, sed per unitatem, id est, per permanentiam actus, ut habet rationem unius, seu rationem uniformis. Et hæc unitas, seu uniformitas dicit D. Thomas, quod complet rationem æternitatis, ut habet rationem mensuræ, non ut habet rationem negationum. Et sic excludit utramque sententiam tam

Ferrariensis quam Suarez; Ferrariensis quidem, quatenus dicit æternitatem esse permanentiam per modum numerationis. Unde non debet compleri æternitas per aliquid rationis sicut tempus, cum permanentia illa per modum unius non dependeat ab intellectu, ut una sit, et simul tota, sicut partes temporis dependent ab intellectu, ut numerentur, et sub ratione quadam unius similitatis accipiantur. Sententiam vero Suarez excludit, quia permanentia illa per modum unius non induit rationem æternitatis ex solis illis negationibus, nisi addatur ipsa perfectio mensuræ per modum simplicissimæ, ut uniformissimæ durationis.

XX. Et sic probatur secundo ratione, quia tota ratio perfectionis mensuræ invenitur ante omne opus intellectus in æternitate divina, licet non relatio realis mensurati ad mensuram, quia hoc importat dependentiam mensurati a mensura, et subjectionis ad illam tamquam ad perfectionem, et uniformiorem, ergo. Antecedens probatur, quia perfectio mensuræ consistit in uniformitate, et simplicitate, qua aliquid de se est notificativum alicujus quantitatis, hoc enim exigitur ad rationem mensuræ ex parte suæ perfectionis, eo quod perfectissimum in aliquo genere est mensura cæterorum. Similiter requiritur tamquam conditio ad mensuratum, quod mensura adæquet suum mensuratum, et simul sit cum illo, quod in tempore, et in aliis mensuris, quæ per numerationem mensurantur non reperiuntur, nisi per rationem, eo quod non possunt partes mensuræ conjungi, et numerari nisi per actum intellectus. In æternitate autem hoc non requiritur, quia non mensurat per numerationem, et successionem, sed per possessionem, et permanentem indivisibilitatem, qua est tota

simul: ergo tota perfectio mensuræ invenitur realiter in æternitate, licet non inveniatur limitatio, et imperfectio mensurati, secundum dependentiam et distinctionem a mensura, sed potius in hoc magna perfectio illius mensuræ relucet, quod mensuratum non solum adæquat sibi, sed etiam identificat.

XXI. Dices: Hoc ipso solvitur ratio mensuræ; tum quia non distinguitur a mensurato, et sic totum, quod ibi est habebit perfectionem uniformitatis; sed non vim, et rationem mensuræ, sicut enim non potest dari Pater nisi relative ad Filium, ita quod si Pater indentificatur cum Filio, hoc ipso tollitur ratio Patris, ita si in mensura tollitur ratio ipsa mensurati, hoc ipso tollitur ipsa ratio mensuræ, quæ intrinsece relativa est. Tum etiam, quia licet in Deo inveniatur perfectio uniformitatis, non tamen invenitur quantitas reducibilis ad mensuram, et notificabilis per illam. Unde solum invenietur mensura per modum perfectionis, non per modum quantitatis. Tum denique, quia esse mensuratum importat intrinsece imperfectioem, si quidem mensuratum, ut tale debet esse aliquid inferius, et minus, quam mensura, alioquin si est æquale ipsi mensuræ non erit major ratio, quod hoc sit mensuratum, quam mensura.

XXII. Respondetur ad primum, quod quando mensura est perfectissima, et intrinseca, ita habet perfectionem mensuræ, quod tamen identificat sibi mensuratum reddens illud perfectum non per applicationem ad ipsum, quo illud notificet, tamquam quid perfectius, sed per identificationem, aut informationem cum ipso, quo reddat illud perfecte sibi conjunctum, et consequenter perfecte mensuratum. Unde solum requiretur operatio intellectus non pro constitutione, aut complemento

mensuræ, sed pro exercenda relatione ejus ad mensuratum, quod non est de ratione, et complemento intrinseco mensuræ, sed solum ad exercitium ejus pertinet quantum ad relationem, quam fundat. Itaque mensura formaliter non est relatio, sed fundamentum relationis, fundantur enim quædam relationes in mensura, ut dicitur in V metaph. sicut aliæ fundantur in actione, et passione, et sicut actio, neque formaliter, neque complete constituitur per relationem, ita neque mensura, licet illam fundet. Sed differentia est, quod de ipsa ratione actionis etiam antecederet ad relationem est distinctio a suo termino producto, ita quod idem non potest agere, et producere se, et ideo si Pater identificaretur cum Filio, tolleretur ratio Patris, non solum quantum ad relationem sed etiam quantum ad actionem, quæ est fundamentum illius. At vero mensura antecederet ad relationem non importat aliquam actionem emissivam, et productivam mensurati, sed solum importat duo, alterum, quod sit perfectissimum, et uniformissimum in suo genere: alterum quod possit applicari, et conjungi vel identificari mensurato adæquando illud. Deinde, sequitur relatio fundata ex parte mensurati ad mensuram, quando est inferior, et dependens a mensurato. Et primum, scilicet esse perfectissimum, et uniforme omnino requiritur ad omnem mensuram; secundum autem, scilicet applicatio, et conjunctio mensuræ ad mensuratum non invenitur eodem modo in omnibus mensuris: nam quædam mensurant per numerationem, et successionem, quædam per summam unitatem, et permanentiam, quædam per extrinsecam applicationem, quædam per intrinsecam informationem. Et quanto perfectior est mensura, tanto perfectius conjun-

gitor suo mensurato, illudque magis ad se trahit quantum possibile est. Et ita cum æternitas sit mensura perfectissima summe conjungitur suo proprio mensurato, ita quod habet identitatem cum illo. Non est autem inconueniens dari mensuram intrinsecam respectu subjecti, in quo est mensura, tum in creaturis sicut tempus non solum est mensura motuum inferiorum, sed etiam ipsius primi mobilis in quo est, et ævum est mensura durationis supremi Angeli, in quo est, et aliorum extra se: tum etiam in Deo, qui ideo dicitur impeccabilis, quia ipse sibi est regula suarum operationum, reliquæ autem creaturæ, quia non sunt suæ regulæ possunt peccare, et deficere. Quare solum requiretur operatio intellectus ad exercendam relationem mensuræ ad mensuratum, quæ consequitur ad mensuram, tamquam ad fundamentum, non autem ad constituendam, vel complendam ipsam rationem, et perfectionem mensuræ fundamentaliter, quod tamen requiritur in tempore, eo quod integratur ex priori, et posteriori in successione.

XXIII. Ad secundum respondetur, non esse in Deo quantitatem formalem, sed virtuales, datur enim permanentia durationis in Deo carens fine, et principio, quod est esse durationem infinitam in permanendo, finitum autem, et infinitum est passio quantitatis. Hæc autem quantitas durationis mensurabilis est per uniformitatem ipsius. Et licet non distinguatur uniformitas durationis a quantitate ejus, tamen in quantum explicat præcisum conceptum quantitatis quantum ad permanentiam seu perseverantiam durationis sine termino explicat rationem mensurabilis, ut autem dicit uniformitatem, qua ista permanentia, et perseverantia durat, explicat rationem

mensurantis, et sic notificat ipsam rationem durationis, quoad suam quantitatem, et extensionem per suam uniformitatem. Et utrumque scilicet extensio quæ est mensurabilis, et uniformitas quæ est ratio mensurandi explicatur in definitione Boetii, cum dicitur: Interminabilis vitæ perfecta possessio: nam ly interminabilis dicit quantitatem durationis, et sic est mensurabilis, at vero ly perfecta possessio dicit summam uniformitatem sine successione, et sic est mensurans. Unde patet quomodo eadem duratio secundum diversas formalitates, et conceptus est mensurans et mensuratum, ut explicat quantitatem seu extensionem qua perseverat in duratione, est mensurata; ut explicat uniformitatem, est mensura, licet in re utrumque identificetur.

XXIV. Ad tertium respondetur quod mensuratum tunc est imperfectum, quando est subiectum, et dependens a mensura, et ab illa distinguitur, eique subordinatur: quando autem identificatur cum ipsa mensura, tunc non includit imperfectionem, sed in se perfectionem mensuræ habet, non autem ut perfectibilis ab illa consideratur. Itaque non repugnat in Deo unam rationem considerari, ut perfectivam alterius, non quia altera sit perfectibilis, et in potentia, sed quia hæc perfectio illius, sicut intelligitur voluntas regulari per intellectum, et sapientiam, seu providentiam dirigere, et regulare omnipotentiam, ut exequentem, et objectum intelligibile esse perfectionem intellectus, non quia ista perfectio aliquid imperfectum, vel potentiale in Deo, sed quia explicant per suum conceptum aliquam perfectionem, quam alia non explicant, sic similiter duratio ut explicat quantitatem, seu extensionem durationis est mensurabilis, ut autem

explicat uniformitatem dicit perfectionem mensuræ identificatam cum illa, et ideo illa quantitas non est imperfecta, quia est identificata illi perfectioni non sine illa, uniformitas tamen est perfectio illius.

XXV. Quod vero non explicetur sufficienter ratio æternitatis per illas negationes, per quas explicatur a Scoto et Suarez, ex eo patet, quia illæ negationes dependentiæ, et successionis, et desitionis etiam possunt convenire aliis attributis, nam negatio dependentiæ non convenit formaliter ratione æternitatis, sed ex eo quod habet esse a se. Et similiter negatio successionis convenit immutabilitati, quæ etiam caret motu, et successione, ergo ad rationem æternitatis aliquid amplius debet poni, per quod istæ negationes distinctum attributum æternitatis constituent. Deinde, quia nullum attributum constituitur per solas negationes, sed per aliquid positivum, et hoc non explicatur ab ista sententia: præsertim cum in definitione Boetii præter negationem interminabilitatis ponatur etiam positiva ratio uniformitatis, et mensuræ dicendo, quod est tota simul, et perfecta possessio, ergo per solas illas negationes non explicatur id quod formaliter pertinet ad rationem mensuræ in æternitate, et positivæ uniformitatis, quod ista sententia non explicat.

XXVI. Nec dici potest, quod etiam uniformitas invenitur in aliis attributis, sicut datur uniformitas in ipso esse, et in ipsa immutabilitate, et in voluntate, et similibus. Nam nos non ponimus solum uniformitatem, quasi abstracte sumptam pro ratione formali æternitatis, ut videtur posuisse magister Bagnes, sed loquimur de uniformitate durationis, quæ explicatur per possessionem perfectam, et totam simul, quantitas vero, et extensio ejusdem dura-

tionis, quæ explicatur per interminabilitatem vitæ quæ comprehendit vitam in essendo, et operando se habet per modum mensurabilis, et ita solum virtualiter distinguitur mensura, et mensuratum in æternitate. Relatio vero inter illa non potest esse realis, sed per rationem, quia non supponit distinctionem nisi per rationem factam. Hæc tamen relatio, ut jam dictum est non constituit rationem mensuræ, sed consequitur, seu fundatur in illa, et ita id quod rationis est non constituit, neque complet rationem mensuræ in æternitate, sed consequitur, sicut in aliis mensuris relatio non est ipsa mensura, sed fundatur in illa.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVII. Primo, objicitur, quia D. Thomas in præsentibus articulo primo dicit rationem æternitatis consistere in apprehensione uniformitatis ejus, quod est omnino extra motum, sicut ratio temporis consistit in numeratione prioris, et posterioris in motu, ergo secundum D. Thomam ad æternitatem requiritur aliquid rationis. Consequentia patet, quia apprehensio uniformitatis non est sola uniformitas, ut est in re, sed ut est apprehensa, et consequenter, ut afficitur aliquo consecuto per rationem. Et deinde, quia ratio temporis per aliquid rationis completur, ut ex istis verbis D. Thomæ colligitur, ergo similiter æternitas, quia eodem modo loquitur de illa, atque de tempore. Confirmatur, nam ideæ divinæ dependent in sui complemento a respectu rationis, sine quibus earum pluralitas, et distinctio nequit intelligi, ut docet D. Thomas infra, quæstione xv, art. ii. Ergo similiter æternitas ad sui complementum exigit operationem ra-

tionis, ut induat rationem mensuræ, et distinguatur a suo mensurato.

XXVIII. Respondetur D. Thomam loqui de uniformitate reali, quæ tamquam objectum apprehendi potest a nobis, ut Cajetanus explicat in præsentia. Itaque ly in apprehensione idem est, quod in ratione uniformitatis, seu in conceptu illius. Cum enim D. Thomas in hoc primo articulo explicaret modum, quo cognoscimus æternitatem per analogiam ad tempus optime dixit, quod in apprehensione, seu cognitione uniformitatis consistit, id est, intelligitur a nobis consistere, seu apprehenditur, et in isto conceptu, seu apprehensione uniformitatis consistit. Non enim potuit dicere D. Thomas quod consistit æternitas in apprehensione, id est, in aliquo rationis, ita absolute loquendo, cum apud omnes constet æternitatem esse reale attributum, nec posse consistere in aliquo rationis. Et ad aliam instantiam respondetur esse disparem rationem de tempore, et æternitate ex ipsis verbis D. Thomæ deductam, nam tempus dixit consistere in numeratione prioris et posterioris, prius autem et posterius non possunt conjungi, et unam mensuram constituere, nisi partes illæ numerationis jungantur, et numeratio ab intellectu fiat. At vero æternitas cum consistat in apprehensione seu conceptu uniformitatis, uniformitas autem sit tota simul in re, nec per prius, et posterius integretur, consequenter ipsa ratio mensuræ non constituitur, nec completur in æternitate per aliquid rationis, sicut integratio temporis in ratione mensuræ.

XXIX. Ad confirmationem respondetur ideas secundum quod plurificantur non esse attributa, sic enim potius se habent ut exemplaria cognita, quam ut ratio cognoscendi.

Æternitas autem etiam ut mensurans uniformiter est attributum divinum, et ideo quantum ad perfectionem, et constitutionem mensuræ non completur per aliquid rationis, sicut plurificatio idearum. Unde D. Thomas, quæstione III de ver. art. II ad II, inquit, quod attributa essentialia non habent aliquid de principali intellectu suo præter essentiam creatoris, sed idea de suo principali intellectu habet aliquid præter essentiam, in quo etiam completur formaliter ratio ideæ, ratione cujus dicuntur plures ideæ. Ex qua doctrina colligimus non leve argumentum pro nostra sententia, si enim plures ideæ non sunt pura attributa in Deo, quia complentur per aliquem respectum rationis, qui est extra essentiam divinam: ergo similiter si æternitas compleretur per aliquid rationis, formaliter non esset essentialia attributum. Secundo, arguitur pro sententia Vazquez, quia ad rationem mensuræ exiguntur duæ conditiones, quibus caret æternitas: ergo non consistit in ratione mensuræ. Antecedens probatur ex D. Thomæ in I, dist. XIX, q. I ad IV, ubi inquit: « Quod divina magnitudo nullo modo est mensurabilis vel mensurata, neque ab alio, neque a se, vel quia mensuratio ponit, terminationem, et divina magnitudo non habet terminum intra, vel extra. Secundo, quia commensuratio non est unius quantitatis ad se, sed duarum, et nulla alia magnitudo potest esse æqualis divinæ magnitudini. » Ecce quomodo D. Thomas ponit ipsa fundamenta Vazquez, scilicet æternitatem non esse mensuram, quia omnis mensura importat terminationem seu finitatem. Et similiter nulla mensura datur respectu sui, sed respectu alterius a se, non datur autem distinctio inter æternitatem, et esse divinum mensuratum per illam nisi per rationem, ergo remoto opere

intellectus caret ratione, et constitutione mensuræ erga mensuratum.

XXX. Et confirmatur ac urgetur amplius, quia quantitas inhærens subjecto non potest esse mensura ejus, cui inhæret; ergo neque æternitas respectu ipsius Dei. Antecedens probatur tum quia quantitas inhærens substantiæ non potest esse notificativa substantiæ, cum sit res alterius generis, et consequenter non potest esse mensura ejus, cum mensura sit notificativa mensurati, tum quia mensura vel est homogenea, vel excedens, quantitas vero, nec est homogenea substantiæ, cum sit accidens alterius generis ab illa, et multo minus excedens, cum accidens sit inferius substantia. Idem argumentum sit de æternitate, quia nec notificat nobis substantiam divinam, quia nostro modo intelligendi non utimur æternitate ad cognoscendum, vel mensurandum Deum, neque ad cognoscendum durationes creatas. Nec etiam Deus utitur æternitate tamquam medio notificante sibi suam substantiam, sed cognoscit se per se ipsum, ergo æternitas non est mensura.

XXXI. Confirmatur secundo, quia mensura alia est perfectionis, qua dignoscimus perfectionem aliarum rerum, alia quantitatis, quæ per unam quantitatem magis uniformem mensuratur alia, ut docet philosophus X met. cap. II et III. Æternitas ergo inquit Vazquez, licet sit mensura perfectionis respectu creaturarum, non tamen est mensura quantitatis, quia non se habet tamquam unitas, vel numerus, quo intellectu mensuret quantitates durationis rerum temporalium, nullus enim utitur æternitate ad sic mensurandum, æternitas enim est indivisibilis, et nobis incognita ad mensurandum res divisibiles, Deo autem omnia sunt nota per se, et non

media æternitate. Ac denique Deus non cadit sub aliqua mensura cum sit primum ens: ergo æternitas non se habet, ut mensura illius, sed ut omnino identificata cum illo.

XXXII. Respondetur negando antecedens. Et ad probationem ex D. Thomæ respondetur negare, quod Deus, vel divina magnitudo non sit mensurabilis ab aliqua mensura extrinseca, et per applicationem mensurante, quia ut diximus id, quod mensuratur ab aliquo extrinseco, est inferius illo, et minus uniforme, et imperfectius in quantum mensuratum. Quod autem habet mensuram ipsam sibi identificatam non est imperfectius ipsa mensura, et consequenter non repugnat divinæ magnitudini. Unde in illo loco in fine solutionis; inquit D. Thomæ: « Quod divinæ magnitudini nihil diversum ab ipsa commensuratur; » ergo loquitur de mensura, quæ est diversa, seu distincta, et consequenter extrinseca mensurato, quando illam negat Deo.

XXXIII. Ad primam confirmationem respondetur quod quantitas inhærens substantiæ si sit perfectissima, et regularissima in illo genere quantitatis est notificativa sui, et aliorum, non quod notificet substantiam in ipsa ratione substantiæ, sed in quantum corporea est et radix quantitatis, et ordinabilis per ipsam dimensionem in suis partibus, sicut lux, et color notificant potentiæ visivæ substantiam lapidis, non absolute ut substantia est in se, sed ut visibilis, et subjectum coloris. Et cum dicitur, quod quantitas est res alterius generis a substantia, respondetur quod licet entitative sit res alterius generis, tamen proportionaliter habent inter se convenientiam, quatenus substantia est in potentia, ut ordinetur per quantitatem, et sic in quantum ordinabilis notificari potest per ipsum

ordinem quantitatis, et sic dicitur mensura homogenea illius in ratione rei corporeæ, non ratione suæ entitatis substantialis, sed ut radix dimensionis, et ut quantificabilis est. Quod vero dicitur de æternitate divina, dicimus realiter habere omnem perfectionem mensuræ, licet non habeat relationem, et reddit Deum mensuratum constituendo Deum æternum, quatenus reddit illum omnino uniformem suæ durationi, non per applicationem aliqujus mensuræ extrinsecæ, sed per identificationem uniformitatis cum tali duratione. Et hoc modo est notificativa suæ durationis divinæ non quidem denominative, et per applicationem extrinseci notificantis, sed formaliter, et intrinsece quatenus explicat in suo conceptu perfectissimam uniformitatem durationis, quam non explicat ipsa duratio secundum rationem quantitatis, et extensionis, qua durat, licet verum sit, quod si velimus uti ista mensura distinguendo inter mensuram, et mensuratum, et relationem inter ipsa constituendo, id non fiat nisi per nostros conceptus inadæquatos, et secundum distinctionem rationis. Et sic Deus non utitur æternitate, ut notificativa suæ durationis tamquam mensura extrinseca, et applicabili ad se, sed utitur æternitate ut constituente formaliter uniformitatem durationis, et sic manifestante ipsum Deum ut æternum formaliter, respectu vero creaturarum utitur illa, ut mensura excedente, et suprema.

XXXIV. Ad secundam confirmationem respondetur quod æternitas non solum est mensura per modum exemplaris, et secundum perfectionem, sed per modum quantitatis, non tamen est mensura homogenea, sed superexcedens, quæ per modum unitatis, et indivisibilitatis mensurat, non quidem explicando,

et multiplicando per successionem mensurationis, sed immutabili, et indivisibili modo coexistendo omnibus rebus. Neque deservit æternitas nostræ cognitioni imperfectæ, quia non est mensura inferior, et homogenea, sed superexcedens, et ideo deservit cognitioni superexcedenti, et alterius generis a nostra. Deus autem utitur æternitate ad notificandum se, ut jam diximus non quasi notificante extrinseco, et extrinsecus applicato, vel ut præbente lumen, aut speciem ad cognoscendum, sed ut notificante intrinseco, quatenus formaliter reddit durationem divinam uniformem, et sic conformiter cognoscibilem. Ad id vero quod dicitur infinitum non posse mensurari respondetur non posse mensurari aliqua mensura finita, quia hæc non adæquatur infinito, neque per mensuram extrinsecam, quæ sit uniformior, et perfectior, quia respectu Dei nihil perfectius esse potest, bene tamen per mensuram intrinsecam, et non minus infinitam, quam ipse Deus, sicut dicitur Deus comprehendere se ipsum per suam cognitionem infinitam.

XXXV. Tertio, arguitur ex Suarez disputatione illa L, sect. iv, nam æternitas non est mensura activa, seu mensurans, neque respectu ipsius Dei. Non respectu creaturarum, quia non habet proportionem ad illas, quia est infinita, et quia caret omni quantitate. Non respectu creaturarum, quia non habet proportionem ad illas, quia est infinita, et quia caret omni quantitate. Non respectu Dei, quia non potest assignari, quid menseat in Deo nisi durationem, seu continuationem in esse, æternitas autem est ipsamet duratio: ergo non distinguitur mensura a mensurato, neque etiam per rationem. Confirmatur, quia per æternitatem non cognoscimus quan-

tum daret Deus tamquam per mensuram, sed tamquam per formam, qua constituitur durans, cum sit ipsa formalis duratio Dei, neque in æternitate percipitur major regularitas, quam in esse divino. Ergo non habet modum mensuræ respectu divini esse, nisi accipiamus formam pro mensura, quod est contra communem modum concipiendi. Imo potius hac ratione esse divinum dicitur mensura æternitatis, quia ex perfectione divini esse perfectio æternitatis deducitur.

XXXVI. Respondetur esse mensuram tam respectu creaturarum, quam Dei, respectu quidem creaturarum est mensura inadæquata, et superexcedens, et ita est infinita. Et licet careat omni quantitate formali, et successiva, non tamen virtuali, et eminenti respectu durationis creatæ, de quo sequenti articulo. Respectu vero Dei, duratio ipsa secundum diversos conceptus habet rationem mensurati, et mensuræ, ut jam diximus: mensurati quidem in quantum dicit quantitatem, seu extensionem virtuales infinitam, quia semper durat: rationem autem mensuræ, quatenus explicat summam uniformitatem, et immutabilitatem in durando. Et non repugnat esse mensuram sui secundum diversos conceptus; sicut etiam tempus est mensura, qua mensuramus ipsum motum primi mobilis tamquam per mensuram intrinsecam, quæ informando etiam mensurat, quia non datur aliud tempus, a quo menseatur, respectu vero aliorum motuum inferiorum, se habet tamquam mensura extrinseca, et per applicationem sui tamquam mensurans.

XXXVII. Ad confirmationem respondetur quod quando mensura est intrinseca, idem quod est mensura, est etiam forma, alioquin non esset mensura intrinseca, id est, per in-

formationem mensurans, cum tamen necesse sit ponere aliquas mensuras intrinsecas, quia id quod est mensura, in aliquo subjecto esse debet, et non mensuratur per aliquid extrinsecum, alioquin de illo inquireremus per quid mensuratur, et sic vel erit processus in infinitum, vel deveniemus ad aliquam mensuram, quæ respectu sui subjecti sit forma, et mensura, respectu vero aliorum extra se sit mensura tantum. Nec tamen sub eadem formalitate est forma, et mensura, sed est forma ut constituit formaliter, est autem mensura, ut respicit quantitatem aliquam virtuales, vel formalem uniformitatem affectam, et sic mensuratam. Et cum dicitur, quod non est major regularitas in æternitate, quam in esse divino, respondetur quod identice non est major, sed idem, formaliter autem per æternitatem explicatur regularitas durationis, quæ per alia attributa, vel per ipsum esse ut sic non explicatur, sed potius explicatur quantitas virtualis durandi, quæ est mensurata, per uniformitatem autem durationis explicatur ipsa ratio mensuræ.

## ARTICULUS II.

*Utrum æternitas sit mensura rerum creaturarum?*

I. Sicut præcedenti articulo ex nimia identitate inter Deum, et suam æternitatem difficultas erat in intelligendo, quomodo æternitas sit mensura ipsius Dei, ita ex nimia distantia, et distinctione inter æternitatem, et res creatas oritur difficultas, quomodo possit esse mensura earum, præsertim cum videamus creaturas esse mutabiles, et aliquas earum successivas, et non existentes semper, æternitas vero immutabilis sit, et immutabili modo men-